



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Martyrii SS. Paternvthii, Copretis, Et Alexandri Militis Svb Ivliano Apostata

Mari, Giambatista

Romae, 1645

urn:nbn:de:hbz:466:1-11043



01

N III. 40. Th. 4907.

4
J

[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, possibly a library stamp or inventory record.]

Ex Legato Celsi Principis FERDINANDI, Epri
Paderb. et Monaster. Anno 1683.

ACTA MARTYRII
SS. PATERMVTHII,
CORRETIS, ET ALEXANDRI
MILITIS
SVB IVLIANO APOSTATA

Quorum memoria olim in Collegiata Ecclesia Sancti
Angeli in Foro Piscium celebrata, hodie in Ora-
torio S. Philippi Nerij in Vrbe viget,

*Nunquam haftenus in lucem edita & ad sensum vet. M.S.
Cod. Basilicae Vaticanae notis etiam illustrata.*

Studio & Opera
IOANNIS BAPTISTAE MARI
Eiusdem Ecclesiae S. Angeli in Foro Piscium Canonici.



ROMAE, Ex Typographia Vitalis Mascardi. MDCXLV.

SUPERIORVM PERMISSV.

ACTA MARTYRII
S. PATERMVTII
CORRETTI ET ALEXANDRI
MILLIS
SUB IULIANO APOSTATA

Primum innotuit olim in Collegiata Ecclesia sancti
Angeli in Foro Piscium celebrata, hodie in Or-
torio S. Philippo Neri in Urbe viget.
Langensdorfensis in sacris litteris edita auctore M. S.
Eod. Baptistae Vindobonensi auctore illustrata.

Studio & Opera
IOANNIS BAPTISTAE MARI
Eiusdem Ecclesiae auctoris in Foro Piscium Canonici



ROMAE, ex Typographia Vindobonensi, MDCCXV.
SVB PATERMVTII

ILLVSTRISSIMO,

ET REVERENDISSIMO D.

VIRGILIO SPADAE

SANCTISSIMI D. N. PP.

INNOCENTII DECIMI

Ab eleemosynis Præfecto.



IO. BAPTISTA MARVS F.



DITVRVS hanc, quæ
nondum publici iuris facta
est, Martyrum historiam,
Tibi ILLVSTRISSE
VIRGILI, dicendam cen-
sui multis ex titulis, qui
tuo iuri eam vendicant; siue me Tibi de-
uinctissimum cogites, quod cogitare
nunquam non potes; siue quia tam ce-
lebris Oratorij, cui per multos annos ma-

A 2 gna

gna cum laude præes, merita id postu-
 lant, quando & horum Sanctorum aræ,
 & census, & quicquid olim memoriæ
 eorum militabat, ad hoc Oratorium,
 cum solemnitate perpetua transfuerit.
 Accipe hilari fronte exile deuoti animi,
 pro ea, quam geris in Sanctos, deuotio-
 ne, munus, & me in Martyrum histo-
 ria dicanda studij, & obsequij erga Te
 mei testem foueas, Vale.

LECTORI.



ORVM Sanctorum Martyrum Patermuthij, Copretis, & Alexandri militis meminit Martyrologium Romanum ad diem nonam Iulij his verbis: Alexandriae Sanctorum Martyrum Patermuthij, Copretis, & Alexandri, qui sub Iuliano Apostata caesi sunt. Summatim etiam in Menais & Menologio describitur horum certamen ad diem supradictam in hac verba: Eodem die certamen Sanctorum Patrum Patermuthij, Copri, & Alexandri, qui Iuliano Imperatore, Apostata in Aegypti solitudine quietam vitam degentes, delati sunt, quod essent Christiani: cum subdolis Apostatae adulationibus Coprus deceptus Christum, negasset, Patermuthius liberius Iulianum Imperatorem redarguit, & Coprum a lapsu reuocat, ita ut qui paulo ante Christum abnegarat, Confessor effectus sit. Accensa igitur fornace, vterque in eam coniectus est, in qua cum permansissent incolumes, Alexandrum militem ad Christi fidem conuerterunt, qui cum ipsis etiam fornacem subiit, ex qua egressi obtruncati sunt. Historia verò passionis eorum extat in antiquo M. S. Lectionario, quod vocant, Basilicae Vaticanae, cuius mentionem facit Baronius in notis mensis Iulij die nono ad Martyrologium, & Rosveydus in notis ad vitas Patrum auctore Ruffino lib. 2. cap. 9. refert alios

eiusdem nominis reperiri, sed diuersos esse ab his, quorum historiam hic scribere intendimus, cum illi vulgato more Confessores, isti martyrio laureati designentur; ut aperte eorum gesta indicare videntur in Menais & Menologio, ut diximus. Horum itaque res gestas tradituri præmittimus nos non verbum ex verbo, sed sensum totius historiae reddituros, quatenus enim in dicto Lectionario Sancti Petri memoratur, cum vix aliquid nisi confusè & interruptè eruere queas, ut idcirco prudenter notarit Baronius, eam historiam emendatione & castigatione egere, non quoad veritatis argumentum, sed quoad narrationis impeditæ, nec perfectò sensu editæ stylum, quem idcirco imitatione doctissimorum virorum, quos inter censi potest Laurentius Surius, formare placuit, nullibi mutato veri sensu, immo quàm fieri potuit retentis iisdem verbis, sed tantùm ex varijs historiæ lectionibus illustrato magisque clarè reddito, sublatis tamen ijs, quæ historiae seriem aliunde turbabant circa temporum Chronologiam, ob quam non erat repudianda historia Martyrii iuxta ea, quæ monet idem Baron. in not. ad diem nonam Octobris Martyrologij. Quæ verò causa nos impulerit ad hanc historiam inter tot alios singillatim scribendam, paucis accipe. Prima fuit, eademque præcipua, quod cum in Ecclesia Sancti Angeli in foro Piscium Canonici munere fungamur, ad nostræ Ecclesiæ honorem spectare visum est, ut translatas solemniter ex veteri Ecclesia horum Sanctorum sacras Reliquias, eorumque imagines in memoriam antiqui cultus reuocaremus. Translationis historiam his

acci-

accipe: Cum multis abhinc annis laxatis Hebraeorum se-
 cta & nationi Urbis spatijs, diruenda essent quaedam
 Christianorum templa, inter hac fuit Sancti Patermuthij
 & Sociorum perantiqua Ecclesia Paræcialis, cuius singu-
 la sacra cimelia, ac prædictæ Sanctorum imagines vnâ
 cum eorundem Sanctorum Reliquijs, vt diximus, quæ ad
 altare maius patebant, simul cum omnibus iuribus Pa-
 ræcialibus solemnè pompa singulari beneficio nostræ obue-
 nere Ecclesie, in qua deinde spatium longi temporis in memo-
 riam prædictæ veteris Ecclesie dicatum in honorem San-
 cti Patermuthij & Sociorum viguit Altare, prædictis ta-
 men sacris Reliquijs antiquisque imaginibus adornatum:
 deinde verò cum fel. re. Clementi Papæ Octauo placuisset,
 loci redditus & emolumenta Reuerendis Patribus Con-
 gregationis Oratorij Sancti Philippi Nerij Fundatoris
 sanctissimi vestigijs celeberrimis exemplis insistentibus,
 benignè applicare, oblitterata ferè prioris Ecclesie memo-
 ria, splendidius coli cœpit horum Sanctorum festiuitas
 apud dictos Reuerendos Patres, prout hodieque colitur, qui-
 bus vltro etiam antiquæ imagines dictorum Martyrum
 memoriæ ergo superioribus annis nostri Capituli dono ces-
 serunt in loco illustriori collocandæ: relictis nihilominus
 paucis eorundem Sanctorum Reliquijs ad seruandam an-
 tiquam memoriam.


Secunda causa est, res ipsa scitu digna, neque hæte-
 nus publici iuris facta, quæ proinde mouit animum, vt
 huic quoque lucubrationi inter alias occupationes aliquid
 temporis impenderemus, quod maxime existimaremus iu-

cundum fore Lectori tam insignis historia, & vix cognita narratione animum oblectare. Sed iam historiam ipsam accipe, & nobis faue, qui omne studium nostrum eò conferimus, ut omnium hoc genus antiquitatum abstrusa queas, & recondita monumenta scrutemur, & in tuam utilitatem publici iuris faciamus. Vale.




Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri Mag.
Sacri Apostolici Palatij.

A. Sacratius Episc. Comaclen. Vicefger.



Reuerendissime Pater. Acta Martyrij Sanctorum Pa-
termuthij, Copretis & Alexandri, quorum memoria
habetur tum in Martyrologio Romano, tum in Menologio
Græcorum, descripta, & notis illustrata à D. Ioanne Ba-
ptista Mari I. V. D. & Sancti Angeli in Foro Piscium Cano-
nico, nihil continent cum bonis moribus, fide historiae sa-
cræ, & sana doctrina pugnans. Itaque si lubeat Reueren-
dissimæ Pat. T. cuius autoritate ea censui, poterunt ad pu-
blicam vtilitatem, & ad orthodoxæ fidei, cum gloria Mar-
tyrum, exaltationem typis mandari. Romæ 8. Maij 1645.

Melchior Inchofer Societatis Iesu S. C. I. C.



Imprimatur, Fr. Iacobus Ciofanus Lector, & Socius
Reuerendiss. P. Fr. Michaelis Mazarini Sacri Palatij
Apostolici Mag. Ord. Predicatorum.



S. PATERMVTIVS · S. ALEXANDER · S. COPRES.

Ambrosius Serm. 77. in Natalem Tauricorum.

Specialiter ij venerandi sunt à nobis, quorum Reliquias possidemus.

Idem in Oratione de fide Resurrectionis.

Morte Martyrum Religio defensa, cumulata fides, Ecclesia roborata est : vicerunt mortui, victi persecutores sunt.


Acta



Acta Martyrij
 SS. PATER MVTHII,
 COPRETIS, & ALEXANDRI
 MILITIS

Sub Iuliano Apostata .

Nunc primum in lucem edita .



CONSTANTINO Magno, qui pacem Ecclesiæ dederat, defuncto, nec multo post, filijs etiam eiusdem sublatis, quorum postremus Constantius Arianus fuit, successit Flavius Claudius Iulianus agnomento Apostata circa annum Salutis trecentimum sexagesimum primum. Is Constantinopolim, vnde oriundus erat, veniens,

non

non multo post Religionem Christianam, cui olim nomen dederat, aut certè quam simulauerat, solemniter eiurauit, Deorumque cultum introduxit; neque his contentus, Christianos atrocissimè persequi cœpit. Fuit ea persecutio duodecima, breuis quidem, sed atrocitate cæteris quàm maximis non inferior, futura omnium maxima, nisi Tyrannum Diuina vltio in medio conatu interceptisset, quando aduersus Persas pugnaturus, prælioque de summa rei decreturus, inopinata cœlitus hasta, cute brachij perstricta, costisque perfossis, exanimatus est. Inter cæteros Martyres Eugenium quoque, & Macarium maximos Christi athletas acerbissimè vexauit, molestiore in Mauritaniam deportatione, quàm si statim eos sustulisset.

His ipsis temporibus enituere viri magni nominis, & Christi Martyres, quorum acta scribimus, ¹ Patermuthius, & Copres eremitæ, & Alexander miles, de quo posterius. Nunc quod spectat ad illos; hi habitantes ² in Ægypti solitudine, vitam ducebant in omni iustitia coram Deo resplendentes: Patermuthius senior egregia instituti Christiani, & sacrae Scripturae doctrina pollebat, à cuius nutu & auctoritate Copres ceu discipulus pendeat, quo factum, vt plura ex eo disceret, propositasque ex sacra Scriptura quæstiones animi sententia intelligeret; subinde tamen curiosius, quam par erat, Patermuthium ad interpretationem sollicitans; paternè ab eodem monitus est: Sustine

stine fili, nec altiora te quæsieris, ne in ima decidas. Ad quæ Copres: Mi Pater, non est prauum velle, discere, & doceri ea, quæ ad salutem spectant; ita enim Eunuchus Reginæ Candacis Philippum rogans, ab eo meritus est edoceri, quæ Christi cognitionem concernebant, & dignus habitus est Baptismate. Quidni ergo vtile sit velle à te doceri, quæ in Scripturis non intelligo; quemadmodum dictus Eunuchus doctus est ea, quæ ex Isaia Propheta non intelligebat?

Placuit Paternuthio desiderium cum humilitate coniunctum, flexusque in sermonem: Num, inquit, custodies, quæ ex me interpretante accipies? Caue, ne veritatem in vlla re offendas. Tunc Copres: Nequaquam metuo veritatem offendere, vbi te docente, & Spiritu sancto interpretante, assequar verum intellectum: dicere enim vix queo, quantum me desiderium teneat diuina altius ad cor demittendi, vt inde tanquam lucerna illuminetur anima, & tanquam esca spirituali nutriatur in vitam. Quare si placet, initium faciamus à Beati Pauli doctrina in verbis illis, quæ vt ingens in se mysterium continent, ita me ad salutarem intelligentiam capiendam extimulant.

Quid ergo est quod dicit: *3 Ego aliquando vivebam sine lege, sed cum venit mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.* Quæso, de quo dixit, de semetipso, an de alio quopiam; ne graueris edisserere?

Quæst. 1.
Rom. 7. 9.

Ad

Solutio. Ad hæc Patermuthius: Idem Apostolus, qui hanc sententiam protulit, aliam quoque alibi dicit: *Ego enim sum Hebræus per legem Pharisæus; unde patet, Hebræum ex Hebræis vixisse sine lege: idque ex persona Adæ dicere: Ego aliquando viuebam sine lege. Formans enim Deus hominem, posuit eum in Paradiso voluptatis, dans ei mandatum non comedendi de fructu ligni vetiti. Viuebat ergo sine lege aliquando, idest; antequam veniret mandatum, unde subdit: Sed cum venit mandatum, peccatum reuixit; ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Quia nimirum inobediens factus Adam, postquam sumpsit de ligno vetito, eiectus est de Paradiso, & venit mandatum, quod arguit peccatum: per mandatum ergo peccatum reuixit. Ille verò mortuus est. Quare quod Paulus dixit, ex persona Adæ protulit.*

Quæst. 2. His Copres contentus, maiori nihilominus sciendi desiderio incensus, quærere perrexit: Dic quæso Pater, quid sibi vult Parabola, quam Seruator infert de muliere decem drachmas habente, quarum vnâ perdita: *Nonne, inquit, accendit lucernam, & quærit diligenter, & cum inuenerit, conuocat amicas, & vicinas dicens; congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram. Enuclea mihi quæso Pater, quæ sunt istæ drachmæ, & quæ mulier ista? Ad quæ Patermuthius: Dignam rem quæris filiis: Noueris ergo, decimam drachmam, humanum esse genus, reliquas,*

noiem Choros Angelorum. Mulier porrò ista, Sapientia Dei est, quæ incarnata reliquit nouem Choros Angelorum, velut in deserto Cœli, & venit ad quærendam decimam drachmam, hoc est, ad redimendum genus humanum, quod etiam perfecit, accensa Euangelicæ prædicationis luce, & erexitque in signum gaudij Crucem, qua conspecta, amicæ, & vicinæ gentes ad salutem conuocarentur. Hic est sensus Parabolæ fili. Tunc Copres: Gratias tibi habeo pro tam vtili mentis illuminatione. sed quæso parcas, si molestus adhuc interrogare pergam; salutis amor cum diuinarum intelligentia rerum huc me a digit, nec ea tibi, vt agnosco, ingrata est.

Quæro igitur, explana sensum Psalmi septuagesimi secundi, quid est? *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde, mei autem pene moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei,* ⁶ *quia zelauit in peccatoribus, pacem peccatorum videns;* & quæ deinceps sequuntur, à quo, & de quo, quæue de causa dicantur, ardeo intelligere.

Quæst. 3.

Psalm. 72.

Paternuthius desiderio chari discipuli victus: Audi, inquit, fili, hunc Psalmum Asaph cantor, & Propheeta cecinit, qui custodiens se ab hominum contagione, cum in montem excelsum secessisset, virtutum exercitijs, & corporis macerationi cœpit intendere; accidit, vt aliquando in monte sedens, in subiectam ciuitatem respiceret, vidissetque passim homines delitijs, & voluptatibus deditos, diuina parum curare, sed quæ ad sensum facerent, magno studio colere; quibus

Solutio.

bus ad animum ductis, optauit similem in bonis vitam ducere, & corporis castigationi valedicere: qua cogitatione vehementius impulsus, decreuit de monte descendere, & in ciuitate habitare. Itaque cum pergeret, Angelum Domini specie hominis obuium habuit, eumque in hæc verba allocutum audiit: Quò pergis Propheta? Cui; Mansi, inquit, in monte hoc plures annos, & penè tabefacto corpore, cum ægrè animum traherem, vidi habitatores huius ciuitatis vitam ducentes lætam, longè à curis, & infirmitatibus esse, adeoque robusto corpore dies ducere bonos. Horum ergo societatem expetens, modum quoque viuendi optaui, qui etsi gentiles sint, non mihi ad religionem, sed ad delicias animi plurimum conuenire videntur. Hæc causa descensus mei. Ad hæc Angelus: Reuertere in locum tuum, donec tibi ex alto prudentia suggeratur, nondum enim didicisti sapere, quæ Dei sunt, adhuc enim mundi potestas te officio continet suo. His Propheta ad se reuersus pedem retulit, & dum eremum repetit; incidit in diuersorium, vbi collecto in Deum animo, cum multa secum retractasset, quàm vana sint omnia, quæ sub sole fiunt, & quod homo in imagine pertransit, compunctus corde exclamauit: *Quàm bonus Deus Israel his, qui recto sunt corde, mei autem penè moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelauit in peccatoribus, pacem peccatorum videns.* Mox conuersus in peccatorum vanitates, & exprobrans miseriam: *Non est,*

est, inquit, *declinatio morbi eorum, nec firmamentum in plaga eorum, in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia eorum, cooperti sunt iniquitate, & impietate sua.* Hæc explanatio loci, quem desiderasti fili, utere ea in bonum tuum. Copres gratias agens in omnibus, ait, lætum me fecisti Pater, quia reffloruit cor meum. Sed dulcedine tuæ interpretationis illectus, iterum te rogabo, non quæso fatigeris, sicut neque ego te audiendo molestiam capio. Adhuc autem quæro, quid fibi velit Psaltes, cum ait: *Dixit iniustus ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius, iniquitatem meditatus est in cubili suo, malitiam autem non odit.*

Quest. 4.

Psalm. 35.

Ad hæc Patermuthius: Interpretatio dicti hæc est. *Solutio.* Habebat Dauid Rex filios, & filias, primus filiorum. Amon vidit Thamar sororem suam, & concupiscendo arsit in eam: quare simulata infirmitate, cum aduenientem videret patrem, consolationem quidem ex illo percepit, animi tamen vulnus non aperuit: digresso patre, ingressa est Thamar soror, fratri ministratura, nesciens doli, ut strato proxima fuit, vim fratris sensit, quæ ne ad peiora delaberetur: Ne fiat, inquit, hoc peccatum, quod concepisti, ambo enim prouocabimus ad iracundiam Dominum Cæli, & terræ certam experturi mortem: hæc Thamar, non habens malum in corde, ille verò sui Deique oblitus, præualuit aduersus eam, & humiliavit puellam, perpetratoque peccato, odio cõcepto eiecit eam. Hoc itaque est, quod

B

di--

dicitur in eodem Psalmo: Vt inueniret iniquitatem suam, ad odium in ipsam: non habens timorem Dei ante oculos suos, sed iniquitatem meditatus in cubiculo suo, non malitiam, sed sororem odio habuit.

Hac interpretatione accepta, non quieuit Copres, quin discendi desiderio pergeret ad seniore interpellandum. In Euangelio, inquit, dictum est: *7 Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, ne forte rumpantur, sed vinum nouum in vtres novos, & vtraque custodiuntur.* Quis quæso est huius dicti sensus? Vinum nouum, inquit seruus Dei Patermuthius, aduentus est

Solutio. Christi; vtres veteres, Iudæi inflati; vtres noui, nos gentiles, qui combibimus nouam gratiam aduentus Christi. Rectè ergo dicitur: *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres.* Talis fuit Caiphas, qui interrogato Domino, dic nobis, si tu es Christus, affirmantem, audiuit, sed dicentis sermonem non accepit; ideo vestimenta sua scidit tamquam vter vetus, qui corrumpitur. Sic proinde Hebræi non suscipientes Christum, quemadmodum vtres veteres scissi sunt; nos contra, aduentui Christi credentes, gratiam eius custodiimus vicissimque custoditi sumus, & meritò vtribus nouis comparamur vinum nouum continentibus. Hæc est explanatio sermonis fili. Tum Copres: Profundus est sensus tuus, mi pater, optarem tamen, vt enucleationem sermone scripto memoriæ causa traderes, nisi tibi id graue foret. Hic Patermuthius: Desine iam fili plura interrogare, ne multis irretitus, cum ferre non

non valeas, decipiaris. contrà Copres: Adhuc semel te fatigabo, parce adolescentis ignorantia, dictum est in Habacuc: ⁸ *Misisti in mare equos tuos turbantes aquas multas.* Quid quæso intendat Propheta, fac, vt sciam. Respondit Patermuthius: Aquæ multæ gentes sunt, equi Prædicatores Euangelij, mare mundus; prædicantibus itaque Apostolis gloriam Christi, sono prædicationis eorum in orbem terrarum exeunte turbatæ sunt gentes, moti sunt principes, conturbati sunt Reges. En habes interpretationem, de cætero file. Cui Copres: Silebo, vbi ea quæ angustiam cordis mihi pariunt, tibi proferam, vt verbum solatij accipiam. Vidi in visione noctis Cœlos apertos, & venientem ad me hominem candidatum, habentem baculum in manu sua. Hoc primum. Iterum verò vidi hominem alterum nigerrimum, qui & ipse baculum gerebat, sed ambulans antecedebat ignis ardens, & fumo abundans. Is extendens manum, me complexus est, sensique me in medio fumo positum, multis circumuallari malis, ita vt ab ijs superarer. Vidi eodem tempore candidatum illum auersum, & audiui vocem de Cœlo dicentem: Hic cadet, & resurget, humiliabitur, & exaltabitur. Hæc videns, expaui, sed quæso, annuntia mihi, quid portendant. Tum Patermuthius nonnihil vultum mutatus, ait: Commouebit te visio ista, si sensum intellexeris, quippe significat te leuitate subuertendum, & obscurandum corruptum, vt deficias à Deo vero, & viuo; caue igitur,

Quæst. 6.
cap. 3.

Solutio.

Visio.

Interpretatio.

ne id eueniat, time Deum, & mandata eius obserua, fortis esto, & constans in omnibus aduersis, quæ tibi euenierint. Ecce enim in nouissima tempora nostra, deuenimus, quibus Iulianus Imperator, 9. deserto Deo, & religione vera Christum confitentibus persecutionem orsus est atrocissimam, nullum vt effugium sit Christum colentibus, sed inquisiti, & raptati ad impietatis tribunal omnibus tormentis, & suppliciorum minis cogentur ad Christum eiurandum. Nec nos extra sortem habebimur, adducendi quamprimum, & de confessione Christi rationem reddituri. Vide igitur fili, vt viriliter agas, ne fortè in hora interrogationis, Christi obliuiscaris, & impio Imperatori pareas in perniciem animæ tuæ.

Huiusmodi exhortationibus animabat tyronem vir Dei, & parabat ad futurum certamen. Dum porrò manerent in eremo piè viuentes, accidit, vt inter orandum cœlitus audirent vocem de grata apud Deū conuersatione, & quod in libro vitæ scripti essent tanquam iusti; qua audita, facti humiliores, ambulabant in omni iustitia, expectantes beatam spem, & quotidie se parantes ad exitum.

Interim 10. Iulianus Imperator venit in Ægyptum, & decreta persecutione, inuestigabat vbique Christi assertores, inter quos quia fama commendabat Patermuthium, & Copretem, incessit Imperatori, vt hos præ alijs inquireret. Missi igitur milites, & omnia etiam auiæ scrutati, tandem eos inuentos ad Imperatorem

Sancti du-
cuntur ad
Imperato-
rem.

torem ducere instituunt. Venientibus per viam accessere vrsi, leones, pardi, & feræ eremi, cicuresque abijcientes se ad pedes Sanctorum, blandiendo velut salutare videbantur. Territis militibus, quos, nisi Sanctorum merita fuissent, bestię laniaturæ erant. Ad ducti tandem in conspectum Imperatoris, steterunt viriliter. Milites verò narrantes, quæ in itinere contigerant, in admirationem verterunt Imperatorem, dum dicerent, ¹¹ bestias eremi adfuisse blandientes Paternuthio, & Copreti, vicissimque abiuisse, nullo nocumento cuiquam illato. Quibus auditis Iulianus: Ego, inquit, aliquando Christianus, & Christo obediens nullam inde vtilitatem sum consecutus; ideo illi renunciaui, ad Deos conuersus, à quibus omnia ad votum abundanter, ipsumque Imperium accepi. Quod porrò pertinet ad bestias blandientes, scitote hos viros per artem magicam, qua Christiani instrui solent, has præstigias struxisse. His dictis, Paternuthium intuitus, quantum, inquit, temporis est vitæ tuæ senior? cui ille: Septuaginta quinque annos habeo in institutione, abrenunciatis seculo, delectatus mandatis Dei. Rursum ad Copretem, dic & tu iunior, quot annos habes? qui dixit: Paucos, nulla tamen ætas immatura studio doctrinæ Christi. Tum iussu separari Paternuthio, singulare examen instituit erga Copretem, tandemque coegit, vt sacrificaret: Sacrifica, inquit, Dijs, vt enim ego te præcedens scientia cognoui Deos immortales, multumque ab ipsis bene-

Occurrunt
eis bestię.Certamen
Copretis.

ficij percepi, sic velim tu eos agnoscas, & vtilitate
 maxima perfruaris. Suadeo igitur, vt quamprimum
 Dijs sacrifices; sic enim eris acceptus coram me, &
 secundus à throno meo. Quibus auditis, percussus
 animo est Copres, cœpitque nutare, & intellectu veri
 paulatim spoliari, vt tandem assentiretur Imperatori,
 vnde responsurus: Bonum, inquit, mihi est consilium
 tuum ò Imperator, & cognoui ex dictis tuis, quàm
 rectè dixeris, fortunamq; tuam Deorum beneficio di-
 rexeris. A modo ergo do manus, & Iulianista sum, non
 Christianus, emendaturus ea, quæ in pristinis tenebris
 erravi: proinde accedo ad sacrificandum Dijs immor-
 talibus. Quo responso accepto, summopere gauisus
 Imperator, amplexus Copretem: Beatus es, inquit, ò
 Copres, præ omnibus, quia cognouisti Deos tibi sa-
 lutem, & opes tribuentes. Perrexit igitur Copres, &
 recedens à vero Deo, adhæsit Diabolo, sacrificans
 Apollini, continuoque auditi sunt Dæmones plau-
 dentes cum illo, cæterique populi gentiles in tripu-
 dium effusi. Id vbi cognouisset Patermuthius, indo-
 luit, magnoque mœrore animum crucians, ad Deum
 se conuertit pro misero transgressore flexis genibus
 deprecatus: Domine Deus meus, Deus virtutum,
 non permittas, vt pereat, quem pretioso sanguine re-
 demisti: memento operum adolescentiæ eius, & mi-
 serere imbecillitatis, ob quam cum verba iniquorum
 subuerterunt; miserere Domine, qui operis tui nun-
 quam obliuisceris, Domine Deus Saluator omnium.

Porro

Patermu-
 thius agno-
 scit lapsi
 Copretis.

Porrò sequenti die Iulianus pro tribunali sedens, adstante Coprete splendidis vestimentis amictō, præcepit adduci & Patermuthium, quo veniente, intuitus est eum Copres, dicens: Ecce venit senex ille, qui toties impediuit, ne prius Deos immortales agnoscerem; iamque eo propè constituto, cum vidisset eum plorantem: Quid est, inquit, Patermuthi, quod cum me videas gaudentem, tu ploras? ego Iulianista sum, non Christianus. Tum Patermuthius: Doleo te exultantem in re pessima, & ideo ploro, seductus enim es errore male gradientium ad interitum. Quo audito Iulianus: Non est hic locus lacrymis, non verbis superfluis, tu quoque sacrifica Dijs, & gaude nobiscū: Absit, inquit Patermuthius, vt hoc gaudio, cuius finis luctus est, exultet cor meum, qui enim hoc gaudio vano afficitur, in extremis plorabit: abnuo sacrificium, nisi verò Deo, dijs falsis renuntio, & malim semper plorare, quam illis sacrificare, ita enim fiet, vt in futuro gaudeam; multi nunc florent splendidis vestimentis, futuri aliquando nudi, ego libenter nunc vel corpore ad tormenta nudabor, vt superinduar stola vitæ immortalis; patiar famem, vt in futuro satier, ne cum ijs, qui modo saturantur, postea esuriam. Quanti sunt, qui modò tibi adstant Iuliane, sed in futuro iudicabuntur à Rege magno, qui Christus est, à te derelictus. Quanti, qui modò tibi chorum faciunt Apostatæ à Christo, sed in futuro choros ducent in gehenna. Denique quanti sunt, qui modò à te exaltantur: &

Et corri-
pit.

laudantur, sed in futuro vituperati ad barathra detru-
dentur.

Paternu-
chius re-
spicit Co-
pretem &
alloquitur

Hæc dixit, & intuens in faciem Copretis: Væ, in-
quit, tibi miserrimè, quia factus es seruus iniquitatis,
factus exultatio Dæmonibus: lugubre iustis spectacu-
lum! Væ præcipitando ad Inferos & associando An-
gelis Tartari, quorum societatem elegisti, discedens à
Deo & à Sanctis Angelis nudus, & induens Diabolum,
mentitus es veritati, & meditatus es mendacium!
Memento operis iuuentutis tuæ: memento, vnde exci-
deris, & si quæ tibi adhuc lux affulget, conuertere ad
Deum, quem dereliquisti: nulla hora ad conuersio-
nem tarda; conuertere itaque, ò fili, incipe rursus
amare Deum, & pœniteat te facti iniqui, senties in
momento Deum, qui adstat, vt vocet te, & vt porri-
gat manum, benignus enim est, & multum misericors;
excute veternum, & erige oculos ad Cælum. His &
similibus cum pulsaret pectus Copretis, ¹² miserante
Deo, emolliuit, statimque is solutus in lacrymas, ex-
clamare cœpit: Heu me miserum, quid feci, parce
Deus, parce iniquitati meæ, ignorans feci! multisque
se accusans, dum huc illucque se vertit, & tristis plo-
rat, momento refocillatus spiritu, & in Cælum suspi-
ciens: Parce (inquit) Domine, Christianus sum, non
Iulianista, peccaui, impiè gessi, nequiter egi, & ma-
lum coram te feci, sed tu parcendo misericordiam
tuam manifesta; remansi enim, sicut lignum aridum
sine fructu, folijs arentibus, miserere mei Domine, &
illu-

illumina, quoniam contexerunt me peccatorum tenebræ, sibillauit super me serpens, exultauerunt Dæmones, contristati sunt boni Angeli, commoti sunt Cœli, turbati montes, commota omnia fundamenta terræ præ amaritudine animæ meæ tanto peccato implicitæ; sed & flumina, & magnum mare penè exaruerunt, riui fontium retenti sunt, quia nō sufficiunt ad abluenda insanabilia peccata mea. Nunc ergo Angeli Dei venite ad plorandum mecum, ordines Iustorum succurrite, venite omnes bestię terræ, omnia maris, & Cœli animantia, homines omnes, creaturæ omnes plangite mecum, quia dereliquit me Sol Iustitiæ Christus, & mansi in tenebris, quia lumen fidei recessit à me. An putatis ignoscet mihi Deus? intercedite, si forte misereatur mei.

Plorante vero illo, plorauit & Paternuthius corde nimium compunctus, vnàque populus istic congregatus, sortem miseratus tam misere decepti iuuenis. Tum Copres reuersus in se, propiùs ad Imperatorem accessit, verbisque impropers acerbis: Cur me, inquit, decepisti homo perditionis? recipe terrenam gloriam, quam mihi dedisti, suscipe honorem illum, qui fuit ignominie mater; tua respuo dona, quæ damna mihi conciliarunt; renuntio tibi, & tecum diabolicæ sectæ, & redeo ad Dominum creatorem meum, quem te supplantante negaui, vt recipiam gloriæ stolam, quam nequiter perdidi, ita Dominus meus mei misereri velit, neque enim spe mea fraudor, quia
me

Obiurgat
Imperato
rem.

me recipiat, & faciat sicut vnum de mercenarijs suis, qui non sum dignus vocari filius.

Copretis
certamen.

Hæc audiens Imperator, efferbuit, & illico edixit: Parentur tormenta ad cruciandum hunc perfidiæ seruum, fiat craticula, & subactis lignis accensis, ferueat vehementer, & iniquitatis hi serui superiniiciantur. Cui Copres: Bene iussisti Imperator, fac quidquid potest tibi suggerere iniquitas, hæc enim mea disciplina erit; vratur lingua, per quam praua locutus sum, recidantur carnes, incidantur nerui, confringantur ossa, vt quocunque tandem supplicio luam transgressionem meam. Quo responso magis incitatus Iulianus, præcepit ignitis forcipibus linguam eius præcidi, quo supplicio afficiendus Copres, intuitus Patermuthium: Ora pro me, inquit, Pater, ne deficiam, quoniam dura sustineo. Contra Patermuthius: Sustine fili cum gaudio, Dominus adiutor tuus. Vix dixit, & forcipes candentes, tanquam frigida affusa relanguerunt. Quo viso, exclamauit Iulianus: Cognoscite, quia magi sunt isti, præstigijs & maleficijs addicti; quamprimum extendantur super craticulam ignitam. Dum duceretur Copres, ¹³ additi sunt ei Eugenius, & Macarius Christi milites, eodem plectendi supplicio. Inter eundem trepidare Copres, rursusque ad Patermuthium: Magister bone ora pro me, quia angustix me habent vndique; & Patermuthius: Ne timeas fili, recole mores infantix tuæ, quam egregiè certabas nunquam superatus à malo; ¹⁴ recole ieiunia, quæ vel à pane & aqua absti-

abstinens 40. dies protraxisti, nonne Dei gratia, qui te fecit, in omnibus tecum fuit? nonne sæpius per triduum nec cibum, nec potum sumpſisti? nonne per dies centum viginti continuò te crucifixisti? nonne super saxa non dormire, sed iacere per tres annos consueuisti? nonne vno pede per dies vndecim institisti? nonne venientibus fratribus nostris olera cocturus, cum ligna deficerent, manum supposuisti, eaque accensa vicem ignis suppleuisti?

O fili vnde colluctationes istæ tantum potuere, vt te deijcerent? verè enim thesaurum tot annis conditum momento sine causa vrgente perdidisti; sed caue impostherum & gratiæ Dei rursus stude. Ad hæc Copres: Memini Pater, quantum laborauerim, sed non cognoui, quod euulsa petra angulari, turris, quam ædificauimus, in ruinam iret. Tum Paternuthius: Nondum lapis iste penitus excidit, adstans enim D. Iesus Christus illum adhuc sustinet, & facile loco suo restituto, totum opus iterum integrabit. Nunc & ego tribulor, sed homines sumus, si tribulationibus non cesserimus, in patientia viuemus, & animas nostras saluabimus, efficiemurque sicut Angeli, Diabolo resistentes, illumque fugantes. Fortiter igitur insistamus in viam cœlestis ciuitatis, redeamus ad supplicia mortem obituri pro vita. Tunc Copres exhilaratus vultu, & animo, conscendit craticulam vnà cum Paternuthio, vt corpus ferro, ita spiritali aratro cor subigens, vnde spica Cœlestis, & fructus germinaret. Cumque manerent

in

in craticula extensi, Paternuthius ad Copretem conuersus: Eleua, inquit, fili, oculos, & respice Cœlum Angelosque aduenientes. Suspexit Copres viditque Cœlo aperto effusos Angelorum ordines, & ad se appropinquantes, ac tum ad Paternuthium: Pater mi dulcissime, ecce appropinquant Angeli, intercede pro me & loquere illis, ne irascantur propter peccatum meum, quia fructum fidei perdidisti: video enim accedentes illos, vt flammam, quæ circa nos est, multo rore superfuso extinguant; quo viso, silentes Sancti in Dei tantum laudes resonabant alacriter. Cognoscens autem Tyrannus Iulianus refriguisse candentem craticulam, iussit incendi caminum totis ardentem diebus septem, & ita concepta vi vrendi, iniici Sanctos ad arrendum. ¹⁵ Tunc vnus ex militibus, nomine Alexander, affatus Copretem: Quid, inquit, agis miserrime, qui prius sacrificasti Dijs, & modo ab illis discedis? cui Copres: Vtinam non sacrificassem, pœnitet me sceleris, & nunc oro Iesum Seruatorem meum, vt mihi parcat, miserans mei, qui vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. cui Alexander: Quid si & ego Iesu militem, quid stipendij mihi erit? Si milites, inquit Copres, liber à vinculo impietatis, in filium Dei adoptaberis, vita æterna pro stipendio, & præmio recepta; nam qui dixit: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur, te quoque non exclusit. Quo dicto, ¹⁶ subito illustratus, & compunctus Alexander, credere se clamabat Christo, & exul-

Alexander miles
conuertitur.

tabat cum Seruis Dei, paratus cum iisdem decertare. Quæ dum fierent, iussu Imperatoris, constantissimi Martyres ducuntur ad caminum ardentem. Quos insequens Alexander, de mysterijs fidei colloquentes audit & idoneus discipulus paulatim instruitur: mox ad illos: Pergam, inquit, vobiscum, ò verè beati, nec vos me velitis deserere; cui Copres: Da alteram manum Patri nostro Paternuthio, alteram mihi, vt vnà pergamus, quocunque Dominus voluerit; tum Alexander: Itaque ego in medio vestri sum tertius, in typo Sanctissimæ Trinitatis, de qua me nunc docuistis, quam morte testaturi, & glorificaturi viriliter agamus, Christus nobiscum comitatur, nobiscum Spiritus sanctus, Angeli & Archangeli vndique nos vallant, & ad diuinas laudes cantandas excitant. Et iterum Alexander dicit: Audite fratres, si vobiscum perrexero ad caminũ ignis ardentem, vos quidem non vret, quid verò mihi proueniet, si propter vos me quoque non tetigerit ignis? dicam nihil sum, & ad nihilum utilis, sed rogo, manete hic, vt solus ego vadam luctaturus cum igne, & tunc cognoscam, quia vocauit me Deus. Ad hæc Paternuthius: Fideliter cogitasti fili, Dominus tecum, vade securè. Illicò verò procurrente Alexandro ad ostium camini, ecce effusus ignis, fumusque ingens circumfluens ambiebat foris caminum, extendit se in occursum Alexandri, vsque ad cubitos viginti; tum Alexander, quæro, inquit, ex te ignis, quare mihi existi obuiam? an quia minores maioribus honorem præstant?

stant? Sed enim ego homo peccator sum, si missus es, ut me consumas, fac tuum officium, ure, & deuora carnes meas, si scilicet talis est iussio Domini. Adhuc eo loquente, diuisus est ignis in duas partes, non aliter quam aqua diuisa fuit fide Moyfis operante. Transiit ergo Alexander Seruus Dei per medios ignes, & flammam, & perueniens ad os camini, ita secum: Quid mihi factum est, an quia Iustus sum, non me tetigit ignis? an quia peccatorem contempsit? at ego scio iustum me non esse, sed maximum peccatorem: prope igitur est, ut cognoscam virtute D. N. Iesu Christi non nocuisse ignem, nec villo modo pusillanimitatis meae carnem laesisse. Quae cum diceret, ignei globi e camino sursum ascendentes, claritate maxima totam aeream aulam repleuerunt, eodemque momento¹⁷ apparuere Michael, & Gabriel Angeli Dei, ad quos Alexander: Domini mei saluate me obsecro; & Michael: Ne timeas Alexander, missi enim sumus ad seruandum te cum tuis socijs. Quo audito, Alexander in pace animam suam creatori tradidit; ¹⁸ corpus verò Angeli componentes recesserunt. Mox ingrediuntur eundem caminum Paternuthius, & Copres Serui Dei, videntesque consummatum Alexandrum ante ostium iacentem & sudario faciem inuolutam, senserunt admirando omnem illum locum fragrare odore; qui cum & Iulianum Imperatorem afflauisset, illico iussit ex igne, & flammis abstrahi seruos Dei, corpus verò beati Alexandri ante se locari, quod intuitus ex-

cla-

clamauit; magni sunt Dij, talia miracula patrantes, quæ Christi potentia non nouit; iterumque his dictis, iussit eos Dijs sacrificare; cui Patermuthius: Absit hoc à nobis, moriemur enim pro Christo, quem tu contemnis, tu verò quia ab eo transfugisti, finem habiturus es sceleri tuo dignum; ibis enim in bellum, sed sanus non reuerteris, ¹⁹ inflicto diuinitus vulnere miseram animam exhalabis, propter scelera tua dignam mercedem recepturus. Tunc ira commotus Imperator, iussit eos à conspectu suo abripi, & gladij supplicio puniri. Accepta sententia Sancti dum educerentur extra Ciuitatem, audita est vox de Cœlo ad Patermuthium: Placuisti mihi ab infantia, euge Serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Dimissum autem est Copreti peccatum suum, propter pœnitentiam, qua doluit ex animo. Qua voce accepta, iubilantes in pace gloriosos spiritus Deo Creatori reddiderunt. Talis fuit consummatio Sanctorum istorum ²⁰ sine gladio victoriam gloriosam obtinentium. Quorum corpora fideles diligenter collecta piæ sepulturæ tradiderunt. Contigere ista regnante impio Iuliano, glorificatis à Rege Seculorum sanctis Martyribus, cui honor, & virtus in secula seculorum. Amen.

clamavit; magis iure Dicitur, quia mirabili patitur
 que Christi potentia non solum; sed etiam
 est, iussit eos Dicitur sacrificare, cum iustitiam
 hoc a nobis, morietur enim pro Christo, cum
 in continentia, in vero patet ab eo usque
 habuit, et clarissimo dicitur, ista enim
 sed etiam non meretur, sed de his non
 tantum solum, sed etiam de his
 gaudet intercedere, sed etiam de his
 I operatur, iure est a continentia, sed etiam
 I operatur, iure est a continentia, sed etiam
 exenit enim, quia, in de, sed etiam
 I operatur, iure est a continentia, sed etiam
 ne bene, et fidelis, in de, sed etiam
 Dicitur autem, et hoc, sed etiam
 per penitentiam, cum de his, sed etiam
 accepit, iudicium, in de, sed etiam
 totum, sed etiam, sed etiam
 istorum, sed etiam, sed etiam
 tiam, sed etiam, sed etiam
 separare, sed etiam, sed etiam
 istanc, sed etiam, sed etiam
 vultus, sed etiam, sed etiam
 Amen.



NOTAE
AD ACTA MARTYRII
SANCTORVM
PATERMVTHII
ET SOCIORVM.

PATERMVTHIVS (*¶*) *Copres*
Ermita] Varijs modis corruptè
legitur in quamplurimis M. S.
hoc nomen, Patermuthius, vt
interdum etiam in duo diuida-
tur, Petri, & Mutij: interdum
verò priori parte truncatum Mu-
tium tantum reddat, quod habet M. S. instrumen-
tum anni 1562. penes Archiuum nostræ Ecclesiæ,
similesque errores sunt circa nomen Copretis. Sed
rectius nuncupatur Patermuthius, vt etiam in Me-
næis & Menologio habetur. Extabat, vt diximus,

C

in

in præfatione ad Lectorem, R O M Æ perantiqua Ecclesia huic Sancto Patermuthio dicata, quæ erat Parœcialis; in eoque ambitu & loco sita, vt dicitur il Mercatello propè Synagogam Hebræorum; & de qua nil aliud memorię proditum habetur, nisi quod Clerus prædictæ Ecclesię sex denarios Presbyterij in Thuribulorum festiuitate recipere consueuerat. Erat Thuribulorum festiuitas quædam laudabilis & perantiqua consuetudo tempore nonnullorum solemnium festorum Summum Pontificem incensandi, idque à Clero cuiuslibet Ecclesiæ peragebatur, cui propter munus quædam certa quantitas denariorum, quæ Presbyterium nominabatur, pro genere & numero Cleri tribuebatur.

- 2 *In Aegypti solitudine.*] Id est, circa eam partem Alexandria, quam vocant Ægyptum inferiorem, cum Alexandria sit vrbs Ægypti, non longè à Nili ostio Canôpo, condita ab Alexandro Macedone, anno 320. ante Christi ortum: celebris olim omnium liberalium disciplinarum scholis, maximoque totius Orbis commodo nobilissimum emporium, sed longe post Christi Aduentum nobilior, siue Religionis sanctitatem, siue præstantiam sanctissimorum Præsulum spectes, antequam Arij hæresis inuallisset: siue demum admirandæ & planè cœlestis vitæ Monachos spectes, qui latè circumfusi in solitudine Deo vixerunt, de quibus plura Cassianus lib. 1. & 2. Collat. & passim. In his floruit & Pa-
ter-

termuthius incedens in omni sanctitate & iustitia, iuxta ea quæ idem Cassianus de Regulis Monachorum Ægypti & Thebaidis scribit.

3 *Ego aliquando viuebam sine lege, sed cum venit mandatum.*] In vulgata sic habetur: *Ego viuebam sine lege aliquando, sed cum venisset mandatum, &c.* Quoad verò interpretationem videtur noua, nec abludentem habens allegoriam, immo fortasse sensum literalem in persona Adami, qui postquam transgressus est mandatum Dei, peccatum agnouit, & hoc est, quod dicit, peccatum reuixit post mandatum, non quod antea vixerit, sed quia poterat homo peccare, & non peccare, quasi in radice manebat. Et hic sensus deduci potest ex eiusdem Sancti Pauli verbis subsequens, nimirum: *Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me.* Vbi verbum *seduxit*, alludit ad primorum parentum seductionem, quæ occasione mandati facta est, cum serpens tentaret, diceretque: Cur præcepit vobis Dominus, &c. Vide Cornelium à Lapide in hunc locum. Potest etiam locus hic intelligi de omnibus peccatoribus post Adamū, quibus peccatum reuixisse dicitur post legem, quando nimirum agnouerunt Deum Iudicem iustum, & bona remuneraturū, & mala puniturum. Vnde peccatū, quod antea mortuum putabatur, non quod non viueret, sed quia desidia hominum non æstimabatur, imputandum post mandatum, & agnitionem mandati

prohibentis, reuixisse dicitur, urgente præsertim Dæmone ad transgressionem, qui hactenus cessasse à tentatione videbatur, quod post deiectum primū hominem, velut in pacifica possessione quiescebat, & ideo etiam mortuus quodammodo fuisse dicebatur, vt explicat Sanctus Ambrosius super illum Pauli ad Rom. 7. *Sine lege enim peccatū mortuum erat.* Vide Symphorianum Champerium de mirab. sac. Script. lib. 1. Theorematum Diui Pauli Theor. 5. vbi ex Ambrosio & Origene hunc locum percommodè explicat.

4 *Noueris ergo decimam drachmam.*] Quod de decima drachma, & nouem Choris Angelorum, iuxta communem auctorum interpretationem dicitur, pluribus illustrabimus, vbi demonstrationem de diuinis vocationibus Sancti Petri Episcopi Sebastæ fratris Sanctorum Basilii Magni, & Gregorij Nysseni in lucem ediderimus, peculiari huius de Choris Angelorum, & decimo ordine hominum sententia, quod propediem Deo dante facturi sumus. Nota tamen, quod secundus Chorus, Græcorum sententia, totus ferè lapsus est cum Lucifero, eaque de causa in suis Odeis Angelicis omittunt secundam, cum nulla sit communis cum alijs laudatio. Vide Baronium ad annos Christi 842. tom. 9.

5 *Erexitque in signum gaudiij Crucem.*] Crux, lucerna nostra, quæ etiam in die Iudicij fulgebit.

6 *Zelauit in peccatoribus.*] Textus vulgatus habet,
zela-

zelanti super iniquos, &c. Huius verò Psalmi expositio de Asaph est forsan secundum Rabbinorum traditionem.

- 7 *Nemo mittit vinum novum in vtres veteres.*] Interpretatio facilis, & grata, maximeque veritatem sensus literalis explicans, quam plerique mittentes; moralem sensum tantum quærunt.
- 8 *Misisti in mare equos tuos.*] In Habacuc 3. iuxta textum variatur lectio.
- 9 *Iulianus Imperator deserto Deo.*] Vide Sozom. lib. 5. cap. 5. & Baron. ad annos Christi 362.
- 10 *Iulianus Imperator venit in Aegyptum.*] Fuisse Ecclesiam, quæ in Aegypto erat, vexatam Iuliani tempore, Apollonij Sanctissimi Monachi Acta fidem inter alia faciunt, vt refert Euagrius in Vitis Patrum in Apollonio cap. 7. item Palladius in hist. Lausiaca cap. 52. Baron. anno Christi 362. nu. 177.
- 11 *Bestias eremi adfuisse blandientes Paterni vobis.*] Sic Paulo Eremitarum Magistro rapaces corui, Aegidio cerua, Hieronymo leo; aues, cicadæ Francisco obsecutæ sunt.
- 12 *Miserante Deo emolliuit.*] Plures alij cum iam tormenta passi fuissent, & martyrij coronam debitam accepturi essent, non secuta morte à martyrio degenerarunt, & ex Christi Confessoribus martyres Diaboli effecti sunt, pluribus sceleribus se inuoluendo, atque etiam fidem negando, vt de Saprício Presbytero narrat Baron. ad ann. Christi 260. n. 32.

Celebrior, inquit, est Nicephori fama, cuius martyrium Antiochiæ magna gloria exhibitum, cum in locum Sapricij Presbyteri, qui negarat se sufficiens, desertoris militis damna reparavit, hostemque prostravit. Extant Acta tunc scripta, & quidem fidelissima; agiturque natalis dies eius martyrij quinto Idus Februarij. Per spicuum tunc plane, sed pavendum editum est exemplum, quo fideles omnes admonerentur, frustra quæque magna conari hominem Christianum, nisi fraternæ charitatis compage fuerit solidatus: cum Sapricius Presbyter, vita iam oppignerata martyrio, quod odio flagraret in Nicephorum, ipsum propè ictum vibrante carnifice, Christum negans, idolis sacrificavit. Magna itaque gratia fuit cecidisse, & iterum resurgentem duplicem quasi coronam martyrij adeptum esse Copretem. Videtur enim hoc accidisse ob merita lacrymarum Paternuthij: vix enim aliquis ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postulavit, acceperit, nullus adeo beneficia dolenter optavit, qui non impetrarit: ipse enim est, qui consolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat.

13 *Additi sunt ei Eugenius, & Masarius.] De his habetur in Martyrologio Romano die 20. Decembris: fortasse hac die propter inventionem Reliquiarum aut translationem. Baronius in notis ad Martyrologium dicta die se de ijs legisse narrat in vita huius Sancti Paternuthij manu exarata vetustissima penes*

nes Bibliothecam Basilicæ Vaticanæ. Mentionem præterea de jis facit Menologium his verbis: *Eadem die commemoratio Sanctorum Martyrum Eugenij, & Macarij, qui sub Iuliano Apostata detenti, atque ad illum ducti, eius impietatem arguentes, in ignem traditi, serpentibus venenatis obijciuntur, à quibus illesi permanentes, vinceti missi sunt in Mauritaniam regionem plurimis editis miraculis, beatas animas Deo tradiderunt.*

14 *Recole ieiunia.*] Miracula admiranda à paucis patrata.

15 *Tunc vnus ex militibus nomine Alexander.*] Hic aduerte Lector in Menologio haberi, Alexandrum militem conuersum esse, postquam Patermuthium & Copretem vidisset incolumes in fornace ardenti permansisse. Vnde facile colligas seruos Christi non semel, sed iterum & fortassè sæpius in ignem iniectos, quando ad primam iniectionem viso miraculo Alexander miles conuersus est: postremo verò cum iisdem fornacem subijsse narratur, ex quo tamen non sequitur, quin prius iuxta modum in historia relatum, ipse ignem vtrò appetierit, eodemque modo, quo narratur, obierit.

16 *Subito illustratus.*] Gratia Dei quam subito docet, & ex idiota doctissimum reddit, cum etiam ad tactum cœlestis luminis continuò ferocissimum. Saulum prostratum exclamasse noueris: *Domine quis es? & quid me vis facere?*

- 17 *Apparere Michael, & Gabriel.*] Duo Principes Angeli semper ad magna nuncianda, aut facienda missi. Non mirum si hic quoque tam stupendo facto adfuisse dicantur.
- 18 *Corpus verò Angeli componentes.*] Sic etiam in Sina Arabiae monte corpus Beatæ Catharinæ Angeli collocarunt, & corpus Sancti Clementis Principis Apostolorum discipuli in arca lapidea in marmorea ædícula in templi speciem ab Angelis, vt opinari licet, diuinitus conditum est.
- 19 *Inflato diuinitus vulnere.*] Variantibus de miserabili Iuliani morte sententijs, illa maximè placet, à Sancto Mercurio Martyre Dei Genetricis Mariæ iussu interemptum sexto Kalend. Iulij ann. ætatis 32 Imperij primo, mens. 8. in campo magno, & planitioso, Assia nuncupato, vt refert Theophilus in vita Sancti Macarij Romani apud D. Hieronymum in vitis Patrum cap. 9. Manumque suam sanguine impleuisse, & in aërem sparsisse, ac rabiosè allatrasse hoc scommate: Vicisti Galilæe, vicisti, fatiare Nazarene. Ita simul & victoriam confessus est, & blasphemiam euomuit. Videat qui plura desiderat apud Baronium anno Christi 363.
- 20 *Sine gladio.*] Menologium dicit obruncatos esse, sed intelligendum est iuxta sententiam datam, quæ tamen diuinitus impedita fuit, vt ante exceptum gladium è viuis excederent, simili cum socio Alexandro exitu.

I N D E X
 IN HAEC SANCTORVM
 P A T E R M V T H I I,
 ET SOC. MARTYRVVM

A C T A.



A



- A**DHORTATIO *Patermuthij ad Copre-*
tem. pag. 20.
Alexander miles conuertitur. pag. 28. *In*
fide instruitur. pag. 28. *Alloquitur Pa-*
termuthium, & Copretem. *ibid.* *Pro-*
currit vltro ad caminum ignis: *ibid.* *Illæsus transie*
per ignem. pag. 30. *Loquitur cum Michael, & Ga-*
briel Archangelis. *ibid.* *Quando conuersus.* pag. 39.
Alexandriae vrbis celebritas ac nobilitas. pag. 34.
Altare dicatum Sanctis Patermuthio, & Socijs Marty-
ribus. pag. 7.
 Amos

- Amon concupiscit Thamar sororem suam.* pag. 17.
Angeli refrigerant craticulam candentem. pag. 28. *Componunt corpus Alexandri.* pag. 30.
Asaph cantor & Propheta Psalmum 72. cecinit. pag. 15.
Respicit vitam latam peccatorum, & allicitur ad eandem. ibid. *Occurrit ei Angelus tendenti ad societatem peccatorum.* ibid. *Quid cum Angelo locutus.* pag. 16.

B

- B** *Aronius mentionem facit de Sanctis Paternuthio & Socijs Martyribus.* pag. 5. *Eiusdem sententia de historia Sanctorum Paternuthij & Sociorum Martyrum.* pag. 6.
Blasphemia à Iuliano Apostata morituro dicta in Christum. pag. 40.

C

- C** *Aiphas vter vetus disrumpitur.* pag. 18.
Causa, quibus ad hanc de Paternuthio, & Socijs Martyribus scribendam historiam adductus Auctor. pag. 6.
Catharine corpus ab Angelis in Sina collocatur. pag. 40.
Chorus secundus Angelorum fere totus lapsus cum Luciferò. pag. 36.
Clementis corpus ab Angelis conditum. pag. 40.
Christiani vtres novi. pag. 18.
 Co-

Copres discipulus Patermuthij pag. 15. Cogitur à Iuliano Apostata sacrificare Dijs. pag. 21. Paret Tyranno & apostatat à fide. pag. 22. Induitur splendidis vestimentis. pagina 23. Corripitur à Patermuthio. pag. 23. Resipiscit & deprecatur Deum vt sui misereatur. pag. 24. Conscendit craticulam cum Patermuthio. pag. 27.

Confessores alij eiusdem nominis cum Patermuthio & Socijs. pag. 6.

Cruce Christi. pag. 15.

D

D *Aemones auditi plaudentes de lapsu Copretis. p. 22*

Demon à tentatione, quando cessasse censetur. p. 36

Deprecatio Copretis ad Deum. pag. 24. & 25.

Desiderium Copretis intelligendi sacras Scripturas. pag. 13.

Desiderium discendi ea, quae spectant ad salutem quam utile. ibid.

Deus flenti ac dolenti nihil negat. pag. 38.

Doctrina spiritualis lumen & esca animae. pag. 13.

Drachma decima humanum genus significat. pag. 14.

E

E *Vgenius & Macarius à Iuliano Apostata vexati.*

pag. 12. Adiunguntur Copreti ituro ad Martyrium.

pag. 26. De iisdem mentio fit in Menologio. pag. 39.

Eunu-

Eunuchus Reginae Candacis cur dignus est habitus Bapti-
mate. pag. 13.

Examen singulare instituitur à Iuliano erga Copretem.
pag. 21.

Expositio verborum D. Pauli ad Rom. 7.9. pag. 35.

F

F *Eræ eremi occurrunt Paternuthio & Copreti, dum*
ducuntur captivi ad Imperatorem. pag. 21. Id tri-
buitur arti magicæ à Iuliano. ibid.

G

G *Ratia Dei quam efficax. pag. 39.*

H

H *istoria Sanctorum Paternuthij & Sociorum Mar-*
tyrum recensita apud Martyrologium Romanum,
Menologium & alios. pag. 5.

I

I *nterpretatio visionis Copretis. pag. 19*

Inuectio Copretis in Iulianum Apostatam. pag. 25.

Iudei vtres veteres. pag. 18.

Iulianus Apostata incipit persequi Christianos. pag. 12.
Mittit

Mittit milites ad inquirendum Patermuthium, & Copretem. pag. 22. Quomodo interfectus sit. p. 12. A quo & cuius iussu. pag. 40. Blasphemiam moriturus euomit. ibid.

L

L Exonarium M. S. Basilicæ Vaticanæ recenset historias passionis Sanctorum Patermuthij & Sociorum Martyrum. pag. 5.

M

M Agia falsè insimulantur Christiani à Iuliano Apostata. pag. 21.
 Michael & Gabriel Archangeli apparent Alexandro Martyri. pag. 30. Idem rerum magnarum nunciij. pag. 40.
 Mercurius Martyr iussu Deiparæ occidit Iulianum Apostatam. pag. 40.
 Mirabilia multa patrata à Coprete in iuuentute sua. p. 27
 Miraculose forcipes candentes refrigerati. pag. 26.
 Misericordie peccatorum. pag. 17.
 Modus & ratio Auctoris in scribenda Historia Patermuthij, & Sociorum Martyrum. pag. 6.

N

N icephorus loco Saprificij desertoris fidei martyrium subit. pag. 38.
 Nomina SS. Patermuthij & Copretis corrupte scripta. p. 33.
 Ora-

O

O Ratio Patermuthij pro Coprete. pag. 22.
 Odor admirandus ex corpore Alexandri Marty-
 ris. pag. 30.

P

P Arabola de drachma decima perdita. pag. 14. Eius-
 dem interpretatio. ibid.
 Paræcialis Ecclesia dicata S. Patermuthio. pag. 7. & 34.
 Patermuthius, & Copres vbinam habitarent. pag. 12.
 Monet Copretem, ne plura interroget. pag. 18. Prædi-
 cit se cum Coprete ad Imperatorem pro fide ducendum.
 pag. 20. Agnoscit lapsum Copretis. pag. 22. Corripit
 Copretem. p. 23. Fortiter resistit Tyranno cogenti ipsum
 ad sacrificandum Dñs. ibid. Respicit Copretem &
 alloquitur. pag. 24. Consolatur Copretem. pag. 27.
 Peccatum reuixit per mandatum. pag. 13. & 35.
 Persecutio duodecima incipit sub Iuliano Apostatata. p. 12.
 Predicatione Euangelij turbata sunt omnes gentes. p. 19.
 Prædictio Patermuthij facta Iuliano de infelici exitu ip-
 sius. pag. 31
 Presbyterium quid. pag. 34.

Q

Q Væstio I. Copretis ad Patermuthium de verbis
 D. Pauli ad Rom. 7. 9. pag. 13.
 II. De

- II. De drachma decima perdita : pag. 14.
 III. De sensu Psalmi 72. pag. 15.
 IV. De verbis Psalmi 35. pag. 17.
 V. De vino nouo in vtres novos mittendo , Matth. 9.
 pag. 18.
 VI. De verbis Habacuc , cap. 3. pag. 19.

R

- R** Edditus loci à Clemente VIII. applicatur Patribus
 Congregationis Oratorij Sancti Philippi Nerij. p. 7.
 Reliquia & Imagines Sanctorum Patermuthij , & Socio-
 rum Martyrum quomodo Ecclesie Sancti Angeli obue-
 nerint . pag. 7.
 Rosvveydi relatio de Sanctis Patermuthio, & Socijs Mar-
 tyribus. pag. 5.

S


- S** Apientia Dei cur incarnata . pag. 15.
 Sermo Patermuthij ad Iulianum Apostatam. pag. 23
 Sapricius Presbyter Christum negat, & quare. pag. 38.

T

- T** Hamar nõ consentit incestuose concupiscentie Amoris
 fratris sui . pag. 17.
 Thuribulorum festiuitas. pag. 34.
 Va-

- V** Anians, & miseria peccatorum. pag. 16. & 17.
*V*arietas nominis Patermuthij in quamplurimis
 M. S. pag. 33:
*V*inum novum in Euangelio quid significet. pag. 18.
*V*iso Copretis. pag. 19.
*V*ox è cælo ad Patermuthium, & Copretem. pag. 20. Ite-
 rum ad eosdem ultimum supplicium subituros. pag. 31.
*V*tribus novis Christiani, veteribus Iudæi cõparati. p. 18.





LANDMEYER
De ueteri
Clericor
&
Monachorum
habitu.

Louanij 1626

PEYMERTII
Reuocatoria
Heresis sua
de Prae Adamii

Roma 1657.

Elogium L. COR.
Scipionis.

Roma 1687

170

Th
4901